Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift

prevaricati sunt in lege quam a suo conditore acceperant et servi facti sunt eius cui suadenti obtemperaverunt. Post hec de illa regione eiecti in istam terram exiliati sunt. Sic tamen exiliatis miseriam suam deus in hac parte constituit, ut si homo creatorem suum solum deum excoleret, inimicus ille angelus eum nocere non posset. Egit autem hic ipse pessimus angelus ut homo a creatore suo recedens ydola coleret et elementa adoraret et diceret ligno: Tu es deus meus. Recedente autem a deo suo homine, a custode suo, a creatore suo, consecutum est ut suo pateret inimico. Hunc autem errorem in hominibus hic angelus princeps invidie ideo nutrit, ut ipse eis dominetur et faciat de eis quod ipse voluerit, quoniam deus verus quem ille angelus malus timet non est cum eis. Hac de causa fecit vos per magos suos quamdiu voluit tacere, iterum fecit vos non videre, iterum fecit vos immobiles permanere. Unde, ut videtis, et hoc probetis ita esse, venite ad nos et permittite vos ab ydolorum cultu recedere et solum deum invisibilem colere et adorare. Et cum feceritis, imponemus manus nostras super capita vestra et signum Christi faciemus in frontibus vestris, et si non confutaverint eos, credite nos fallere omnia quecumque asserimus. Tunc universi illi advocati considerantes rationem veram prostraverunt se ad pedes apostolorum dicentes: Vos facite ut non nobis possint lingue impedire officium, nec aliqua in membris nostris impedimenta inferre, et sit super nos ira dei si ultra ydolis crediderimus. Tunc oraverunt simul sancti apostoli dicentes: Deus Israel, qui exinanisti magica figmenta Iamnes et Mambres et dedisti eos in confusionem et ulcera in carnibus eorum nasci iussisti, sit manus tua super hos magos Zaroen et Arfaxat. Hos famulos autem tuos permit-

tentes quod ab ydolorum cultu discedant, fac fortes et stabiles constantes contra eos insurgere, ut cognoscant omnes quia tu es deus omnipotens qui regnas in secula seculorum. Cumque fideles respondissent amen, signati sunt in frontibus suis et abierunt. Ingressi autem cum duce ad regem, assunt et magi volentes facere ea que fecerant, et nulla poterant ratione prevalere. Unus autem ex advocatis nomine Zebedeus dixit: Audi domine rex. Ista stercora abicienda sunt et ex tuo regno emundanda, ne forte omnibus putredinem generent. Habent enim secum angelum humani generis inimicum et ludificant homines hos quos ipse angelus malus potuit habere subiectos, qui non deo omnipotenti subiecti sunt, sed illos habent deos quos ipsi custodiant, non a quibus ipsi custodiantur. Ideo autem insistebant isti magi ut apostoli sancti hos deos adorarent, quo facto deum offenderent et isti in illos per angelum malum sua prestigia exercerent. Denique signum dei sui in frontibus nostris suis digitis facientes miserunt nos dicentes: Si post istud signaculum dei prevaluerint artes eorum, sciatis que nos docemus universa mentitos. Tunc in dei omnipotentis nomine insultamus eis. Tunc universi advocati insultantes eis dicebant: Si potestis, agite que heri egistis. Illi autem irati multitudinem serpentium fecerunt venire. Tunc dicunt omnes regi: Domine rex, voca apostolos dei. Et cursim misit ad apostolos dei. Et venientes apostoli impleverunt sibi pallia sua de serpentibus et miserunt in eosdem dicentes: In nomine domini Ihesu Christi non moriemini, sed morsibus attrectati dolorum vestrorum mugitum dabitis. Statimque serpentes comedere ceperunt carnes eorum, et ceperunt ululare sicut lupi. Rex autem et omnes dicebant apostolis: Permittite eos ut moriantur ab ipsis.